

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4820

Auteur(s) : Innocent IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Cîteaux (ordre)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1245, 5 octobre

Lieu d'émission : Lyon

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Innocent IV décide que les religieux de l'ordre de Cîteaux ne seront point tenus d'aller aux synodes et assemblées conventuelles, si ce n'est pour la foi seulement.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CXLII, p. 141-142.

Texte établi d'après a

Innocencius, episcopus, servus servorum Dei, [dilectis filiis] abbati Cistercii ejusque coabbatibus et conventibus universis Cisterciensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum, ex parte si quidem vestra fuit propositum coram nobis quod licet ordini vestro per privilegia sedis apostolice sit indultum ut nullus episcopus, seu alia persona ad sinodos, vel forenses conventus, nisi pro fide vos ire compellat, aut in vos vel monasteria seu etiam personas dicti ordinis excommunicationis, suspensionis aut interdicti, sententias promulgare presumat, que si promulgate fuerint, tanquam contra apostolice sedis indulta, prolate decernuntur per eadem privilegia irritae ac inanes, nichilominus tamen plerique prelati et iudices ordinari ac alii ecclesiarum rectores eadem privilegia, quibus muniti estis, evacuare supersticiosos adinventionibus. molientes asserant vos pro quavis offensa ratione delicti existere fori sui sicut que vocantes vos ad placita capitula ac penitenciale forum sicut alios clericos seculares vos super hoc multiplici vexatione fatigant quamquam excessus vestri tam per generale quam etiam cotidiana que fuit in singulis monasteriis vestri ordinis congrua penitentia puniantur. Quare nobis humiliter supplicastis ut presumptionem talium cohibere paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur, attendentes quod et si ex suscepti cura regiminis de universis sancte matris ecclesie filiis curam et sollicitudinem gerere teneamur, de illis tamen specialius cogitare nos convenit, qui postposuitis vanitatibus seculi jugem impendunt domino famulatum ac volentes quieti vestre super premissis paterna in posterum sollicitudine providere, ut nullus vos seu monasteriorum vestrorum personas ad sinodos, vel forenses conventus nisi pro fide dumtaxat vel hujusmodi placita seu capitula forum penitenciale absque mandato sedis apostolice speciali evocare etiam delicti ratione presumat, maxime cum vos, filii abbates, punire excessus quoslibet secundum statuta vestri ordinis parati sitis, auctoritate presencium districtius inhibemus ; decernentes eadem auctoritate sententias si quas hac occasione per presumptionem cujuscumque promulgari contigerit, irritas et inanes. Salvo in omnibus apostolice sedis mandato. Nulli ergo omnino hominum

liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.
Datum Lugduni, III nonas octobris, pontificatus nostri anno tercio.